



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinqve Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

De Scriptoribus Ecclesiasticis Ordinis Montis Oliueti. c. LXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

litare, quod tamen cum ex historicorum fidedignorum sententia, tum etiam ex Constitutionibus eorundem RR. PP. qui etiamnum Romæ habitant, hæc eius opinio abundè refellatur. Fuit igitur Georgius noster Monachus Monasterii S. Pauli iuxta Budam in Hungaria, Ordinis montis Oliueti, ut reculerunt mihi eiusdem Ordinis PP. RR. à quibus hæc accepi cum essem Verona in Monasterio S. Mariæ de Organo: quorum etiam opinio confirmatur à Petro Bugiano in histor. Monast. colloquio, siue diarii secundo.

De Sanctis Ordinis Montis Oliueti. Cap. LXIX.

SANCTA Francisca Romana Pauli Bussæ, & Iacobellæ Rostandescha filia, in iuuentutis flore a Patre uiro coniuncta, postmodum anno circiter ætatis suæ 52. vidua relicta, statim Sancto Benedicto in Monasterio Turris speculorum Romæ sub protectione RR. PP. Ordinis Montis Oliueti, nomen dedit: ubi in Orationibus & vigilijs perseverans, sanctitate & miraculis clara, anno Christi 1440. die undecimo Martij, ætatis suæ 56. migravit ad Sponsam. Sepulta iacet in Monasterio S. Mariæ Nouæ, Patrum Ordinis Montis Oliueti, non longe ab antiquo Pacis templo.

De Scriptoribus Ecclesiasticis Ordinis Montis Oliueti. Cap. LXX.

DOMNVS Barnabas Riccobonus Abbas Oliuetanus, qui etiamnum adhuc ut puto uiuit, scripsit Disputationes tres,
 De suprema omnium natura diuina.
 De felicitate.
 De sententiarum communicatione, & variarum opinionum cognitione.

Impressæ Patavij apud Laurentium Pasquatium anno 1593. in quarto.

Domnus Marius Equinolus, Monachus Oliuetanus, qui floruit hoc nostro tempore scripsit, Vnde antiquorum latria, & uera catholica religio incrementum sumpserint, lib. 1. excusum Monachij anno 1584. in quarto.

Oratio-

Orationem, de Landibus trium Philosophiæ facultatum & legum Pontificiarum, & Cæsarearum præstata, cum Patrensi ad LL. studiosos; excusam ibidem 1585. in quarto.

Domnus Matthias Alberti Florentinus, Monachus Oliuetanus qui etiam nunc, ut puto, in uiuis est, scripsit Sermone Italico.

Institutionem Canonicam, in qua summarie describuntur Sanctæ Ecclesiæ leges, Summorum Pontif. Ordinationes, & Sacrorum Conciliorum constitutiones: quæ excusa est Venetijs apud Bologninum Zalterium anno 1571. in quarto.

Domus Nicolaus Oddus Patavinus, Monachus Oliuetanus, poeta, orator, & Græca & Latina lingua doctus, necnon Philosophiæ in suis Monasterijs professor, cuius familiaritate aliquoties non modicum delectatus fui, scripsit nonnulla opuscula quæ nondum in lucem prodierunt, & publicauit Aetnæ topographiam Antonij Philothei de Homodeis Siculi. excusa Venetijs per Muschium an. 1591. in quarto. &

F. Carolus Billeum Siculum Franciscanum, de secundarum intentionum natura, ad Sixtum V. Pontif. Max. excus. Venetijs 1589. in octauo.

De reliquis Ordinibus, qui sub Regula S. P. N. Benedicti militare dicuntur. Cap. LXXI.



H sunt Ordines, qui sub Regula & Magisterio Sanctissimi P. N. Benedicti, hodie etiam militare noscuntur. Enumerantur tamen a Ioanne Tritemio de Vir. Ill. Ord. S. Ben. lib. 1. c. 3. multo plures, ut Carthusiensis; S. Vuillelmi, Sclanorum; S. Ambrosij, Vallis Scholarium: de S. Burga Vidua: S. Pauli primi Eremitæ: & Fontis Ebrandi: item, Ordines, Speculantis: Siluestrinorum: Scotorum, & Grandimontensis. S. d. hi omnes maiori ex parte aut alterius Regulae probantur esse, aut certè Reformationes Ordinum potius, quam Ordines noui.

Carthusiensis enim Ordo, suis Statutis particularibus pro Regula contentus, nullius quatuor Regularum ab Ecclesia approbatarum, disciplinam sequitur, ut rectè docet ex aliorum sententia Bartholomæus Cassanæus, parte quarta Catalogi gloriæ mundi, consideratione 62.